



**Chronologiae Veteris Testamenti Accvratvm Examen  
Augustißimæ, Invictissimæq[ue] Domui Austriacæ  
Dicatvm**

**Philippi, Henricus**

**Coloniae Agrippinae, 1637**

15. Quot annis Cainan vixerit, ante genitum Sale. ibid.q.2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64340)

## QVÆSTIO II.

*Quot annis Cainan vixerit, ante genitum Sale.*

*Cainan  
natus an  
nos 30. ge-  
nuit Sale.*

1. IN translatione septuaginta legimus Cainan fuisse 130. annorum, quando genuit Sale: quem annorum numerum retinet Marianus Scorus; sed non satis securè, calculos Græcos Hebræis admiscet. Quare breviter censendum puto, detrahendos esse centum annos, quos ut supra diximus, 70. singulis generationibus in prima & secunda ætate, ad numerum Hebræum quando ad 100. non pertingit, adijciunt: ac proinde Cainan fuisse 30. annorum, cum et natus est Sale. Ita computant Bellarminus, Tornellus, Pererius, Samerius, Gordonus, Salianus, Bonfrerius, &c. Natus est igitur Cainan, anno 38. corrente, post diluuium. Siquidem Arphaxad natus est biennio exacto post diluuium, & triginta quinque annos expleuerat ante ortum Cainan.

*Arphaxad  
& Cainan  
non fuerunt  
fratres.*

2. Sunt qui putant Arphaxad & Cainan fratres fuisse, sed Cainan sine prole discessisse, ac Salen genitum secundum naturam ex Arphaxad; secundum legem ex Cainan. Patronos suæ opinionis laudant, Naclanrum, Lyranum, & Temporarium &c. Verum hæc opinatio mihi non arridet. 1. Quia S. Lucas ca. 3. texit catalogum ascendentium, non autem lateralium consanguineorum, & ita de Arphaxad, Cainan, Sale, sicut de Abraham, Isaac, & Iacob loquitur. Quando Cainan dicitur fuisse frater Arphaxad; posset quidem absolute intelligi ad arphads: contextus tamen verborum Euangelij præcedentium, & subsequen-  
tium, nec non intentio S. Lucæ, hanc interpretationem non admittit. Nimis violenta esset sine vlla necessitate æquiuocatio, ut inter 70. & amplius patres vnus frater, sine vlla differentia collocetur. 2. Falsa esset translatio 70. Gen. xi. vbi disertè Arphaxad dicitur genuisse Cainan: quod de fratre dici non potest. Deinde si mortuo Cainan, Arphaxad genuit Salen: quomodo iisdem 70. scribere potuerunt Cainan vixisse tot annos post genitum Salen: quomodo etiam error in annorum numerum irrepserit, saltem erit verum, Cainan genito Sale aliquandiu vixisse. Si aut Hebræo soli aut soli Græco lapsus esset impingendus: mallem errorem Græco tribuere. At vero existimo, nec in Græco, nec in Hebræo fallum haberi. Hebræus non affirmat quicquam, quod à Græco & veritate dissideat. Est enim verum, quod Arphaxad genuerit Salen, nempe mediatè, quando genuit Cainan, Tunc enim erat

*causa causa.*